

siccum; video tamen esse *Muscæ* speciem, quod valdè miror; puppa enim erat cylindrica, utrinquè obtusa.

Cometam diutissimè et fortè priusquàm aliàs in Europâ hîc observavimus; hodiè optimè luxuriat.

Seguierum non curo; ego eum in meâ *Bibliothecâ* excipiam honorificè, nec verbum contrà eum dicere decrevi; alias debeo per vitam apologias scribere, ad quas minimè aptus sum.

Tu, quæso, suadeas eum ne sexum plantarum in dubium vocet. Doleo quòd adhùc sint Botanici qui negant sexum et Astronomi qui credunt terram stare et solem moveri.

Saluta illustrissima Membra vestræ Societatis, præstùm D. Bon * et de Ratte.

Liquor thermometri Reaumurii 4 gradus ultrà 0 descendisse cogita, et indè frigus Sueciæ determinas. Hoc multotiès apud nos et plerumquè omni nocte hyemali fit, et tùm mitis hyems est. Sed hæc hyems fuit mitissima.

Diù vive et me ama.

C. LINNÆUS.

* BON DE SAINT-HILAIRE (F.-X.), jurisconsulte érudit, naturaliste, membre de l'Académie des Inscriptions, Montpellier, 1678-1761.